

(*Prov. Hibern.*).

† Adm. R. P. Patritius Hartigan.

(*Prov. Hibern.*).

Nunc tandem huius sodalis nostri Hibernici vitae compendio accepto facere non possumus, quin sero saltem sarta aliqua ad tumulum eius deponamus, quae odore virtutum eius fratres oblectent.

Patritius Hartigan natus est die 17 martii a. 1873 in Banoque dioec. Limericensis in Hibernia. Cum frater eius maior Iacobus, qui paulo ante Congregationem nostram ingressus erat, anno 1889 domum paternam petiisset, ut patri morbo mortifero correpto iusta persolveret, Patritii animum cogitatio subiit, ut fratris exemplum etiam ipse sequeretur. Iuvenatum itaque Limericensem ingressurus erat. At ob aetatem iam provectam non receptus seminarium dioecesanum petiit id solum prae oculis habens, ut studiis humanitatis viam sibi panderet, quae in Congregationem duceret. Sermonibus quorundam imprudentium, qui vitam nostram nimis austeram esse dicebant, suorumque precibus rogantium, ut sacerdotio saeculari contentus esset, aliquamdiu quidem turbatus vacillare coepit, ita ut



ne domum quidem nostram inviseret, nec apud Patres nostros confiteretur, quod facere consueverat. At assidua in fine sibi proposito quaerendo diligentia ac sincera erga Beatam Virginem devotione discrimen superavit et mense septembri a. 1893 noviciatum provinciae nostrae Anglicae in Bishop Eton ingressus est ac die 15 octobris sequentis anni vota religiosa nuncupavit. Deinde in studentatu Teignmouthensi in studia incubuit, unde provincia Hibernica constituta anno 1900 in novum studentatum Belfastiensem transiit.

Patritii frater Iacobus anno 1899, annos natus triginta tres phthisi correptus in Congregatione mortuus est. Nec minus Patritius iam in studentatu e spinarum quadam aegritudine pulmonibus male affectis gravidini et morbo, quem influentiam dicunt, obnoxius quotannis hieme integras hebdomades decubuit, ita ut eius quoque vitae timeretur omnesque mirarentur, quod studiis officiisque suis nihil deesset. Ipse enim virtutum suarum labores iam tum celare semper conatus est. Ita paucis diebus post studentium in Belfast adventum valetudine iterum ingravescente decubuit. Die quodam P. Cassin, cum eum inviseret, in lecto aliquid deesse suspicatus invenit aegrotum, cum stragulum per festinationem in adventu studentium stramine refertum non esset, in vectibus stragulo vacuo tectis recubuisse. Fr. Hartigan autem ne verbo quidem conquestus est, sed praeterea P. Cassin sacramento fere adegit, ne cui rem diceret. Qui re vera nihil de re nisi post P. Hartigan mortem narravit.

Qua die s. presbyteratus ordinem recepit (22 sept. 1901), tam aeger fuit, ut vix primam suam s. missam dicere posse videretur. Attamen viribus refectis studia perficere potuit, quo facto et altero noviciatu completo per annos septem domui Eskerensi ascriptus laboribus apostolicis operam dedit. In contionibus nec violentus nec vehemens animos audien-

tium altius penetrabat, quod habitu excelso, sinceritate evidenti, voce gravi, sermonis simplicitate eximia effecit. In confessionali ob certum ac sanum iudicium, patientiam inexhaustam, benignitatem summam a multis colebatur. Chronista autem Eskerensis his verbis eum discedentem prosequitur: « Vir placidus, mitis, hilaris, valde observatus et ab omnibus dilectus cum magno domus detrimento discedet ».

Anno 1909 a Rm̃o P. Generali nuper electo, qui dotes eius optime noverat, Rector collegii Limericensis creatus est, nec iam usque ad vitae finem superioris onus ei deponere licuit. Duobus trienniis rectoratus elapsus a. 1915 provinciae ipsi praefectus est nemine mirante, plaudentibus omnibus. In quo munere iterum ac iterum confirmatus est, donec a. 1924 provinciam florentem aliis curis tradere potuit.

Cura provinciae per ultimos orbis terrarum fines expansae, quam per totum fere belli magni tempus ac praeterea per totum tempus turbarum civilium, quibus Hiberniae pax tamdiu exagitata est, haud leve certe onus fuit, imprimis cum Provincialis debili semper valetudine uteretur. Sed Deo iuvante vires necessariae ad munus implendum numquam defuerunt. Prudentia, sapientia, patientia, pia hilaritate Patris Hartigan provincia non solum intacta mansit, sed etiam fama ac numero sodalium aucta est. A. 1916 provincia 202 alumnis constabat, in fine anni 1924, quamquam 43 vita excesserant, sodales 271 habuit. Nec mirum hoc visum est. In qualibet enim provinciae indigentia Provincialis ita aderat, acsi nulla alia res curam eius requireret. In iuvenatu pueri suum in virtutibus doctrinaeque progressum maximae ei curae esse intellexerunt. A fratribus laicis tamquam amicus sincerus et benignus ac verus « amator fratrum » habitus est. Studentes clerici non temere sibi persuaserant se gregis portionem esse, quam amore praecipuo diligeret. Missionarii autem non solum in Hibernia, sed etiam in Australia et insulis Philippinis in eo patrem se habere aequissimum et benevolentissimum senserunt, cui nihil magis cordi esset, quam ut ipsi contenti ac felices esse possent. Difficile est dictu, quanto animi dolore affectus sit, cum primo belli tempore ad nova subsidia in missiones transmarinas mittenda naves fere non invenirentur, donec, cum magna navis Atlantica (*Atlantic*) in Americam traiceret, contigit, ut Patres Neo-Eboracum ea vehi, inde itinere terrestri civitatem S. Francisci petere ac tandem navibus ad Australiam et insulas Philippinas appellere possent.

Anno 1921, cum capitulo generali interesset, etiam apud capitulares mentis sanae, iudicii recti ac sapientis regularisque observantiae memoriam reliquit. Capitulo generali finito tertium provinciam regendam suscepit, tribus autem annis post hoc munere liberatus domus Eskerensis Rector creatus est. In eadem domo, in qua labores apostolicos inceperat,

eos, quamquam viribus deficientibus, iterum repetiit, donec in labore ipso occubuit.

Valetudinis infirmitate prohibitus ultimis vitae annis a maioribus laboribus apostolicis abstinere coactus erat. Subinde tantum sororum religiosarum exercitiis praefuit aut in missione aliqua parva laboravit. In Esker labores per tempus paschale a. 1924 iam dispositi erant, cum mutationibus nominatione factis Patres deessent, qui eos praestarent. Rector itaque in parochiam Boyle cum Patre quodam e provincia Anglicana ascito exivit, ut exercitia spiritualia annua ad populum haberet, quae die prima iunii incepta ac die 15 finienda erant. Labor in parochia grandi magnus quidem erat, sed omnia bene procedere visa sunt. P. Hartigan in contionibus et instructionibus vice sua optime fungens septenas octonasve etiam per dies horas in confessionali laboravit. Undecimo exercitiorum die contionem habuit in verba illa Domini (Luc, 21, 36) « *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante Filium hominis* ». Haec ei, cuius in libro manuali orationem pulchrae mortis acceptationis a Pio PP. X indulgentiis ditatam invenimus manu eius descriptam, optime conveniebant. Una circiter hora post contionem habitam, cum loci sacerdotes ea nocte bene valere iussisset, ipse cubitum discessit. Paulo post vero sacerdos quidam transiens eum pronum humi iacentem invenit mentis quidem conscius, sed vix usus loquendi compotem. Copiosa sanguinis effusione correptus erat. Confestim sacerdotibus ac confratre convocatis et absolutione sacramentali ac extrema unctione accepta « ante Filium hominis » ipse stetit, ut coronam a S. P. Alphonso filiis se dignis promissam acciperet.

Proximo die corpus eius magno populi comitatu elatum et in Esker delatum est, ubi sabbato, die 14 iunii et clero cum duobus episcopis et populo permulto astante exequiae celebratae sunt. In coemeterio nostro itaque sepultus diem resurrectionis exspectat.

Dum rebus externis magnae provinciae occupatur, P. Hartigan spretis omnibus, quae huius mundi sunt, rebus caelestibus prorsus deditus erat. Quem is, cui in provincialatu successit, virum admirabilem dixit, fratres vero virum Christi similem, a quo discere potuissent, qui fuissent in terra Divini Redemptoris mores. Semper idem, ut S. Vincentius a Paulo, conscientia sancta iudicioque tam certo ducebatur, ut sodales dictarent se oculis obvolutis eum sequi esse paratos. Piissima erga s. missae sacrificium ac Beatam Virginem et S. Alphonsum devotione excellens, Congregationem eo, qui verum Redemptoristam prodit, amore dilexit. Inter muneris sui labores et angustias valetudine incommoda laborans ingenio tam suavi tamque pia hilaritate erga omnes se gessit, ut illi, qui minus attente eum observaret, nullis angustiis difficultatibusque oppressus esse videretur.

Quem solus Deus O. M. digno praemio remunerari potest. R. i. p.!